

maledictionis alumpnus vocatus Otto de Lisenichk Misnensis diocesis sensum datus in
 reprobum sueque salutis immemor quibusdam litteris super executione cuiusdam diffinitive
 sententie late, ut dixit, apud apostolicam sedem in nostro palatio, ubi iura redduntur, in
 causa, quam idem Otto inter ipsum ex parte una et dilectum filium Gotscaleum Kerlinger
 5 clericum Maguntine diocesis super ecclesia in Grimmis Merseburgensis diocesis ex altera
 fore agitatam mendaciter asserere dicitur, sub nostro nomine per falsitatis vitium fabricatis
 in illis partibus uti temere palam et publice non expavit, quarum litterarum tenorem nobis
 exhibitum et ostensum in cancellaria nostra inspici et videri fecimus diligenter, quo inspecto
 liquide compertum est, quod predictae littere, si seriem predicti tenoris habeant, false sunt
 10 et manifestam in se continent falsitatem. Nos igitur volentes de predictis litteris, si extant,
 habere certitudinem plenioram, ut falsitatis et nequitie huiusmodi perfidi patratores penes
 debitis taliter precellantur, quod eorum correctum facinus ceteris transeat in exemplum,
 fraternitati vestre, de quorum circumspectione plenam in domino fiduciam obtinemus, in
 virtute obedientie tenore presentium districte precipiendo mandamus, quatenus vos vel
 15 duo aut unus vestrum omni qua convenit solertia circa id adhibita et cautela prefatum
 Ottonem et alios quoscunque, de quibus vobis visum fuerit expedire, auctoritate nostra
 prudenter et caute ad vestram presentiam evocetis vobisque per eundem Ottonem, si penes
 eum existant vel per alios quicumque fuerint, penes quos forsitan extiterint, fatiatis predictas
 litteras sine more dispendio exhiberi, quibus litteris per vos habitis, si eas tales esse vobis
 20 constiterit, qualis est tenor prefatus, cuius copiam de verbo ad verbum vobis sub bulla
 nostra mittimus interclusam, easdem litteras cum informatione plenaria eorum, que in
 premissis agenda duxeritis, nobis per fidelem nuntium sub sigillis vestris quantotius
 destinare curetis, eundem Ottonem et quoscunque alios, si quos inveneritis culpabiles fau-
 tores et conscios sive participes in crimine huiusmodi tam detestabilis falsitatis, etiamsi
 25 extra vestras existant dioceses, auctoritate predicta fatientes cautius comprehendi ac ipsos
 tamdiu in tuto carcere sub fida custodia detineri, donec a nobis super hiis aliud receperitis
 in mandatis invocantes ad premissa omnia, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, con-
 tradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum
 Avinione II. idus augusti anno sexto decimo.

30

27^a.

*Aufzeichnung über die Berechnung der dem Werner von Witzleben angewiesenen Summe von dem Ge-
 leite zu Grimma.*

Gotha, [1353] Sept. 13.

Hdschr.: Hauptstaatsarchiv Dresden Cop. 5 fol. 9.

35 *Ann.: Vergl. hierzu ebendaselbst fol. 95: Item [dominus] assignavit Wernhero de Wiczeleben l. sexagenas loco
 conductus Grimmensis a festo Walpurgis ad unum annum de civitate capiendas. Datum feria II. post nativi-
 tatem domini anno LIII* (1352 Dec. 31).*

Computacio Wernheri de Wiczeleben facta Gota feria VI. post nativitatem Marie
 virginis presentibus dominis iudice curie Henrico de Kotwitz et Bertoldo. Idem Wernherus
 predictus exhibuit unam litteram continentem CC marcas XXX marcas III quentinos et XVI
 40 sexagenas grossorum sibi in conductu Grimmensi assignatas, de quibus filius suus percepit